

MISSALE BRACARENSE

*Jussu et auctoritate Summi pontificis Pii XI Recognitum et
Reformatum*

Typis Polyglottis Vaticanis

Romae 1924

ORDO MISSAE

Fuentes Litúrgicas

S. E. L. M.

Centro de Estudios Filosóficos Medievales

Universidad Nacional de Cuyo

Mendoza

2004

ORDO MISSAE

Cum paratus fuerit Sacerdos ad Missam celebrandam, ingressus Sacrarium, antequam sacras Vestes accipiat, pectinet caput, dicens:

Intérius extériusque, caput meum totúmque corpus simul et mentem, tuus, Dómine, emúndet et répleat Spíritus. Amen.

Deinde lavet manus, dicens:

Da, Domine, virtútem mánibus meis ad extergéndam omnem máculam immúndam, ut sine pollutióne mentis et córporis váleam tibi servíre. Amen.

Postea de intimo corde commendet se gloriosae Virgini Mariae, ut ipsa eum offerat acceptabilem ministrum Deo Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, atque ei in hoc Sacrificio mediatrix adsit et adjutrix.

Deinde muniat se signo Crucis, dicens:

In nómine Patris, et Fillii, et Spíritus Sancti. Amen.

Ad Amictum

Oratio

Pone, Dómine, gáleam salútis in cápite meo, ad expungnádas et superándas omnes diabólicas fraudes, et ómnium inimicórum meórum,

persequéntium me, saevítiam superándam. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Ad Albam

Oratio

Indue me, Dómine, vestiméto salútis, et induménto justitiae circúmdate me. Per Christum.

Ad Cingulum

Oratio

Praecíngite, Dómine, cingulo fidei et virtúte castitátis lumbos mei córporis: et cómprime et exstíngue in eis humórem libídinis; ut júgiter máneat in me tenor totíus castitátis. Per Christum.

Ad Manipulum

Oratio

Mérear precor, Dómine, Manipulum portáre mente flébili cum patiéntia, ut illum cum exsultatióne deferéndo, cum justis portióne accípiam. Per Christum.

Ad Stolum

Oratio

Redde mihi, Dómine, óbsecro, stolam immortalitátis, quam pérdidi in praevaricatióne primi paréntis: et, quia cum hoc ornamento, quamvis indignus, accédo ad tuum sacntum

ministérium, cum eódem mérear laetári in perpétuum. Per Christum.

Ad Casulam **Oratio**
Dómine, qui dixisti discípulis tuis: Jugum meum suáve est, et onus meum leve: praesta; ut, sic illud deportáre váleam, quátenus cónsequi possim tuam grátiam: Qui vivis et regnas in saecula saeculórum. Amen.

Celebraturus itaque, sacris Vestibus indutus, modeste et devote exeat de Sacratio, capite cooperto et manibus ante pectus junctis vel Calicem cum Patena et aliis paramentis manibus tenens, et, accedens ad Altare, facta ei reverentia convenienti, super ipsum ponit in Missis privatis et praeparat Calicem juxta Rubricas: deinde descendit ad infimum Altaris gradum, ubi, flexis genibus, dicit:

Ave, María grátia plena Dóminus tecum: benedicta tu in muliéribus et benedíctus fructus ventris tui Jesus.

Cui minister et circumstantes respondent:

Sancta María Mater Dei, ora pro nobis peccatóribus, nunc et in hora mortis nostrae. Amen.

¶ In Missis Defunctorum non dicitur Ave, María; in Missis autem solemnibus, cum pervenerit ad Altare, ommissa praeparatione Calicis, dicit: Ave, Maria, cui sacri Ministri et alii respondent: Sancta María, ut supra.

Postea surgit et signat se signo Crucis a fronte ad pectus, dicens:

In nómine Patris, et Filii, et Spíritus Sancti. Amen.

Deinde, junctis ante pectus manibus, prosequitur:
Sancti Spíritus adsit nobis grátia.

Ministri respondent:
Amen.

Postea incipit Antiphonam:
Introíbo ad Altáre Dei.

Ministri respondent:
Ad Deum qui laetíficat juventútem meam.

Postea alternatim cum Ministris dicit sequentem

Ps. 42, 1-5

S- Júdica me, Deus, et discérne causam meam de gente non sancta: ab hómine iniquo, et dolóso érue me.

M - Quia tu es, Deus, fortitúdo mea: quare me repulísti, et quare tristis incédo, dum afflígit me inimícus?

S - Emítte lucem tuam et veritátem tuam: ipsa me deduxérunt et adduxérunt in montem sanctum tuum, et in tabernácula tua.

M - Et introíbo ad altáre Dei: ad Deum qui laetíficat juventútem meam.

S - Confitébor tibi in cíthara, Deus, Deus meus; quare tristis es, ánima mea, et quare contúrbas me?

M - Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: salutare vultus mei, et Deus meus.

S - Glória Patri et Fílio et Spíritui Sancto.

M - Sicut erat in principio et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

S. repetit Antiphonam.

Introibo ad Altare Dei.

R/. Ad Deum qui laetificat juventutem meam.

Signat se dicens:

V/. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R/. Qui fecit caelum et terram.

Deinde, junctis manibus et mediocriter inclinatus facit Confessionem.

¶ In Missis Defunctorum, et in Missis de Tempore a Dominica Passionis usque ad Sabbatum Sanctum exclusive, omittitur Psalmus *Júdica me, Deus, cum Glória Patri, et repetitione Antiphonae, sed dicto In nomine Patris, Sancti Spíritus, Introibo et Adjutorium, fit Confessio, ut sequitur:*

Confiteor Deo omnipotenti, et beatæ Mariæ Virgini, et sanctis Apóstolis Petro et Paulo, et ómnibus Sanctis et vobis, fratres: quia peccávi nimis cogitatione, locutione, ópere et omissione: (*Percutit sibi pectus ter dicens:*) mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa. Ideo deprecor beatíssimam Virginem Mariam, et ómnes Sanctos et Sanctas Dei, et vos, fratres, orare pro me.

Ministri, genibus flexis, respondent:

Misereatur tui omnipotens Deus, et dimíssis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam aetérnam.

Sacerdos dicit: Amen et erigit se.

Deinde **Ministri** repetunt Confessionem: et ubi a **Sacerdote** dicebatur vobis, fratres, et vos, fratres, a **Ministris** dicitur tibi, pater, et te, pater.

Postea **Sacerdos**, junctis manibus, facit absolutionem, dicens:

Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimíssis ómnibus peccátis vestris perdúcat vos ad vitam aetérnam.

R/. Amen.

Signat se signo Crucis, dicens:

Indulgéntiam, absolutiónem, et remissionem omnium peccátorum nostrórum, tríbuat nobis omnipotens et miséricors Dóminus.

R/. Amen.

Et inclinatus prosequitur:

V/. Deus, tu convérsus vivificábis nos.

R/. Et plebs tua laetábitur in te.

V/. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.

R/. Et salutáre tuum da nobis.

V/. Dómine, exáudi oratióem meam.

R/. Et clámor meus ad te véniat.

V/. Dóminus vobiscum.

R/. Et cum spíritu tuo.

Et extendens, ac jungens manus, clara voce dicit: Orémus, et ascendens ad Altare, dicit secreto:

Aufer a nobis, quaesumus, Domine, cunctas iniquitates nostras: ut ad sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde, manibus junctis et super Altare inclinatus, item secreto dicit:

Oramus te, Domine, per merita Sanctorum tuorum (Osculatur altare in medio) quorum reliquiae hic sunt, et omnium Sanctorum: ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.

Deinde, Celebrans pergīt ad cornu Epistolae, et, signans se signo Crucis, incipit Introitum: quo finito, junctis manibus, redit ad medium Altaris et alternatim cum ministro dicit:

Kyrie, eleison. Kyrie, eleison.
Kyrie, eleison.
Christe, eleison. Christe, eleison.
Christe, eleison.
Kyrie, eleison. Kyrie, eleison.
Kyrie, eleison.

¶ In Missa autem solemnī, Celebrans antequam legat Introitum, ponit incensum in Thuribulo, dicens: Ab illo benedicaris, in cujus honore cremaberis. Amen, et deinde illud benedicit. Postea, accepto Thuribulo a Diacono, incensat Altare, nihil dicens. Deinde Diaconus, accepto Thuribulo a Celebrante, incensat illum tantum. Quo facto, Celebrans incipit Introitum, ut supra; et eo finito, dicit in cornu Epistolae Kyrie, eleison, ut supra, alternatim cum Ministris.

Postea in medio Altaris extendens et jungens manus, caputque aliquantulum

inclinans, dicit, si dicendum est, Gloria in excelsis Deo, et prosequitur junctis manibus. Cum dicit Adoramus te, Gratias agimus tibi, et Jesu Christe, et Suscipe deprecationem, inclinat caput: et in fine dicens: Cum Sancto Spiritu, signat se a fronte ad pectus.

Gloria in excelsis Deo. Et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus, Rex caelestis, Deus Pater omnipotens. Domine, Fili unigenite Jesu Christe. Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus Sanctus. Tu solus Dominus. Tu solus Altissimus, Jesu Christe. Cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.

¶ In Feriis, in quibus dicuntur plures Orationes et Prophetiae, Sacerdos, dicto ultimo Kyrie, eleison et omisso Gloria, statim pergīt ad cornu Epistolae.

Absolute Hymno, osculatur Altare in medio, et versus ad populum dicit: Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Postea dicit: Oremus, et Orationes, unam aut plures, ut ordo Officii postulat. Deinde dicitur Epistula, quam sequitur Graduale aut Tractus vel Alleluia cum suo Versu, aut Sequentia, prout Tempus aut qualitas Missae postulat.

¶ Postea in Missis solemnibus, infuso vino in Calicem, Subdiaconus ampullam aquae offert Celebranti, dicens: Benedícite, Pater reverénde. Et Celebrans, faciens signum Crucis super ampullam, dicit:

Dóminus ipse te benedicat, cujus Spíritus in mundi primórdio ferebátur super aquas. In nomine Patris et Filii ✠ et Spiritus Sancti. Amen

Et dum Subdiáconus infundit aquam super vinum, dicit:

Ex látere Dómini nostri Jesu Christi, sanguis et aqua exiísse perhibétur: et ideo nos pariter commiscémus, ut miséricors Deus utrúmque ad medelam animárum nostrárum sanctificáre dignétur. Per eúdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

¶ In Missis pro Defunctis dicit Orationem Ex látere: sed aquam non benedicít.

Tum Diaconus, reposito Calice super Altare, ante ipsum deponit Missale seu librum Evangeliorum, et, in ore suppedanei genuflexus, manibus junctis, dicit:

Munda cor meum, ac lábia mea, omnípotens Deus, qui lábia Isaíae Prophétae cálculo mundásti igníto: ita me tua grata miseratióne dignáre mundáre, ut sanctum Evangélium tuum digne váleam nuntiáre. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Postea accipit librum de Altari, et rursus genuflexus petit benedictionem a Sacerdote, dicens: Jube, domne, benedícere.

Sacerdos respondet:

Dóminus sit in corde tuo et in lábiis tuis: ut digne et competénter annúntiare váleas Sánctum Evangélium suum: et benedicít eum dicens: in nómine Patris, et Filii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen.

Et, accepta benedictione, osculatur manum Celebrantis, ibique sistit dum Celebrans benedicít incensum: qua benedictione peracta, cum aliis Ministris, incenso, et luminaribus, accedens ad locum Evangelii, stans junctis manibus, dicit: V/. Dóminus vobíscum. R/. Et cum spíritu tuo. Et pronuntians: Inítium vel Sequéntia sancti Evangelio secúndum N., pollice dexteræ manus signat librum in principio Evangelii, quod est lecturus, deinde seipsum in fronte, ore, et pectore: et dum Ministri respondent Glória tibi, Dómine, incensat ter librum, postea prosequitur Evangelium junctis manibus. Quo finito, Subdiaconus defert librum Sacerdoti, qui osculatur Evangelium, dicens: Per evangélica dicta deleántur nostra delicta.

Deinde Sacerdos incensatur a Diacono.

Si vero Sacerdos sine Diacono et Subdiacono celebrat, delato libro ad aliud cornu Altaris, inclinatus in medio, junctis manibus, dicit: Munda cor meum, ut supra, et Jube, Dómine, benedícere. Dóminus sit in corde meo, et in lábiis meis: ut digne et competénter annúntiem sanctum Evangélium suum. Amen.

Deinde, conversus ad librum, junctis má-nibus, dicit: V/. Dóminus vobíscum. R/. Et cum spíritu tuo.

Et pronuntians: Sequéntia sive Inítium sancti Evangélii, signat librum et se in fronte, ore, et pectore, et legit Evangelium, ut dictum est. Quo finito, respondet Minister: Laus tibi, Christe, et Sacerdos osculatur Evangelium, dicens: Per evangélica dicta, ut supra.

¶ In Missis Defunctorum dicitur Munda cor meum, sed non petitur benedictio, non deferentur luminaria, Celebrans non signat librum nec seipsum et non osculatur librum.

Deinde ad medium Altaris extendens, elevans, et jungens manus, dicit, si dicendum est. Credo in unum Deum, et prosequitur junctis manibus. Cum dicit Deum, caput Crucis inclinat: quod similiter facit, cum dicit Jesum Christum, et simul adoratur. Ad illa autem verba Et incarnatus est, utrumque flectit genu usque dum dicatur Et homo factus est. In fine ad Et vitam venturi saeculi, signat se signo Crucis a fronte ad pectus.

Credo in unum Deum. Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilibus omnium, et invisibilibus. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de caelis. (Hic utrumque flectit genu) Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine: et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis: sub Póntio Pilato passus,

et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in caelum: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos: cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum, et vivificantem: qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptismum in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.

Deinde osculatur Altare, et versus ad populum, dicit: V/. Dominus vobiscum. R/. Et cum spiritu tuo. Postea dicit: Orémus, et Offertorium.

Quo dicto, si est Missa sollemnis, explicans partem anteriorem Corporalis, dicit: In tuo conspectu, quaesumus, Domine, haec munera tibi sint placita; ut nos tibi semper placere valeamus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde Diaconus porrigit Celebranti Patenam cum Hostia, si vero Missa sit privata, Sacerdos ipse accipit Patenam cum Hostia, quam offerens, dicit:

Acceptabilis sit Majestati tuae, omnipotens Deus, oblatio haec, quam tibi offerimus pro reatibus et facinoribus nostris, et pro stabilitate sancte Ecclesiae Catholicae, necnon

et pro animábus ómnium fidélium Defunctorum. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Deinde, faciens Crucem cum eadem Patena, deponit Hostiam super Coroprale.

Postea accipit Calicem, et offert dicens:

Offérimus tibi, Dómine, cálicem salutáris, tuam deprecántes cleméntiam: ut in conspéctu divinae majestátis tuae, pro nostra, et totíus mundi salúte cum odóre suavitátis ascéndat. Amen.

Deinde facit signum Crucis cum Calice, et illum ponit super Corporale, et Palla cooperit: tum, junctis manibus super Altare, aliquantulum inclinatus, dicit:

In spíritu humilitátis, et in ánimo contríto suscipiámur a te, Dómine: et sic fiat sacrificium nostrum in conspéctu tuo hódie, ut pláceat tibi, Dómine Deus.

Erectus expandit manus, easque in altum porrectas jungens, elevatis ad caelum oculis, et statim demissis, dicit:

Veni, sanctificátor omnípotens, aetérne Deus, Benedicit oblata, proseguendo: et béne✠dic hoc sacrificium tuo sancto nómini praeparátum.

Postea, si solemniter celebrat, benedicit incensum, dicens:

Per intercessiónem beáti Michaélis Archángeli, stantis a dextris altáris incénsi, et ómnium electórum suórum, incénsus istud dignétur Dó-

minus benedícere, et in odórem suavitátis accípere. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Et, accepto thuribulo a Diacono, incensat oblata, modo in Rito Missae sollemnis praescripto, dicens:

Incénsus istud a te benedíctus, ascéndat ad te, Dómine: et descéndat super nos misericórdia tua.

Deinde incensat altare dicens:

Ps. 140, 2-4

Dirigátur, Dómine, orátio mea, sicut incénsus in conspéctu tuo: elevátio mánuum meárum sacrificium vespertinum. Pone, Dómine, custódiam ori meo, et óstium circumstántiae lábiis meis: ut non declínet cor meum in verba malítiae, ad excusándas excusatiónes in peccátis.

Dum reddit thuribulum Diacono, dicit:

Accéndat in nobis Dóminus ignem sui amóris, et flammam aetérnae caritátis. Amen.

Ad Offertorium populi, Celebrans offerenti dicit:

Céntuplum accípias, et vitam aetérnam possídeas in regno Dei. Amen.

Postea incensatur Sacerdos a Diacono, deinde alii per ordinem. Interim Sacerdos lavat manus, dicens:

Ps. 25, 6-12

Lavábo inter innocétes manus meas: et circúmdabo altáre tuum, Dó-

mine: Ut áudiam vocem laudis, et enárrem univérſa mirabília tua. Dómine, diléxi decórem domus tuae, et locum habitatiónis glóriæ tuæ. Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam, et cum viris sánguini vitam meam: In quorum má nibus iniquitátes sunt: délixera eórum repléta est munéribus. Ego autem in innocéntia mea ingrédus sum: rédime me et miserére mei. Pes meus stetit in dirécto: in ecclésiis benedícam te, Dómine. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto. Sicut erat in princípío, et nunc et semper, et in saécula saeculórum. Amen.

¶ In Missis pro Defunctis, et Tempore Passionis in Missis de Tempore omittitur Glória Patri.

Deinde aliquantulum inclinatus in medio Altaris, junctis manibus super eo, dicit:

Súscipe, sancta Trínitas, hanc oblatiÓNem, quam tibi offérimus, ob memóriam passiÓNis, resurrectiÓNis, et ascensiÓNis Jesu Christi Dómini nostri: et in honórem beátae Mariæ semper Vírginis, et beáti Joánnis Baptistæ, et sanctórum Apostolórum Petri et Pauli, et istórum, et ómnium Sanctórum: ut illis proficiat ad honórem, nobis autem ad salútem; et illi pro nobis intercédere dignéntur in coélis, quorum memóriam ágimus in terris. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Postea osculatur Altare, et versus ad populum extendens, et jungens manus, voce paululum elevata, dicit:

Oráte, fratres pro me: ut meum ac vestrum sacrificium acceptábile fiat apud Deum Patrem omnipoténtem.

Minister, seu circumstantes respondent:

Suscípiat Dóminus sacrificium de má nibus tuis, ad laudem, et glóriam nóminis sui, ad utilitátem quoque nostram totiúsque Ecclésiæ suæ sanctæ.

Sacerdos submissa voce dicit: Amen.

Quodsi nemo adfuerit qui respondeat, ipsemet Celebrans dicat Suscipiat Dóminus sacrificium de má nibus meis, et omnia alia, ut supra.

Deinde, manibus extensis, absolute sine Orémus subjungit Orationes secretas. Quibus finitis, cum pervenerit ad conclusionem, clara voce dicit: Per ómnia saecula saeculórum, cum Praefatione, ut in sequentibus.

Praefationem incipit ambabus manibus positis hinc inde super Altare: quas aliquantulum elevat, cum dicit: Sursum corda. Jungit eas ante pectus, et caput inclinat, cum dicit: Grátias agámus Dómino Deo nostro.

Deinde disjungit manus, et disjunctas tenet usque ad finem Praefationis: qua finita, iterum jungit eas, et inclinatus dicit: Sanctus, Et cum dicit: Benedictus qui venit, signum Crucis sibi producit a fronte ad pectus.

Praefatio

V/. Per ómnia saecula saeculórum.

R/. Amen.

V/. Dóminus vobiscum.

R/. Et cum spíritu tuo.

V/. Sursum corda.

R/. Habémus ad Dóminum.

V/. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

R/. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aéquum et salutáre, nos tibi semper et ubí-que grátias ágere: Dómine, sancte Pater, omnípotens aetérne Deus: per Christum Dóminum nostrum. Per quem majestátem tuam láudant Angeli, adórant Dominatiónes, trémunt Potestátes, Caéli caelórúmque Virtútes, ac beáta Séraphim, sócia exsultatióne concélebrant.

Cum quibus et nostras voces ut admítte júbeas, deprecámur, súppli-ci confessióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth. Pleni sunt caeli et terra glória tua. Hosánna in excélsis. Benedictus qui venit in nómine Dómini. Hosánna in excélsis

Canon Missae

Caveat Sacerdos, ne quid in Sacro Canone aut addat, aut mutet, aut detrahat, aut praetereat; sed omnia, et sola, quae in eo ordinata sunt ita legat attente, ut, quoad fieri potest, cor et animus prompti efficiantur ad verba et Mystera tam sancta.

Finita Praefatione, extendit, elevat aliquantulum et jungit manus, elevansque ad caelum oculos, et statim demittens, profunde inclinatus, manibus junctis et super Altare positis, dicit:

Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, supplices rogamus, et petimus **Osculatur Altare, et, junctis manibus ante pectus, dicit:** uti accepta habeas, et benedicas, **Signat ter super Hostiam et calicem simul, dicens:** haec✠dona, haec✠munera, haec✠sancta sacrificia illibata, **Elevatis et extensis manibus, prosequitur:** in primis, quae tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica: quam pacificare, custodire, adunare et regere digneris toto orbe terrarum: una cum famulo tuo Papa nostro N., et Antistite nostro N., et Rege nostro N. Et me indigno famulo tuo N. et omnibus orthodoxis, atque catholicae, et apostolicae fidei cultoribus.

Oratio pro vivis

Meménto, **Extendit et elevat manus,** Domine, famulorum, famularumque tuarum N. et N. **Jungit manus et claudit**

oculos, dum mentaliter orat aliquantulum pro quibus orare intendit. Deinde, manibus extensis, prosequitur: et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, et nota devotio, pro quibus tibi offerimus: vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se, suisque omnibus: pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis, et incolumitatis suae: tibi que reddunt vota sua aeterno Deo, vivo et vero.

Infra Actionem

Communicantes, et memoriam venerantes, in primis gloriosae semper Virginis Mariae, Genetricis Dei et Domini nostri Jesu Christi: sed et beati Joseph, eiusdem Virginis Sponsi, et beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum: Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Jacobi, Philippi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Thaddaei: Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Corneli, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Joannis et Pauli, Cosmae et Damiani: et omnium Sanctorum tuorum; quorum meritis, precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio. **Jungit manus.** Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Tenens manus expansas super oblata, dicit:

Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quaesumus, Domine, ut placatus accipias: diisque nostros in tua pace disponas, atque ab aeterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum iubeas grege numerari. **Jungit manus.** Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Quam oblationem tu, Deus, in omnibus, quaesumus, **Signat ter super oblata,** bene✠dictam, adscri✠ptam, ra✠tam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris: **Signat semel super Hostiam** ut nobis **Cor✠pus et semel super calicem** et **San✠guis** fiat **jungit manus** dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi.

Qui pridie **Tergit pollices et indices** quam pateretur **accipit Hostiam** accipit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, **Elevat aliquantulum oculos ad caelum** et elevatis oculis in caelum, ad te Deum Patrem suum omnipotentem, **Caput inclinat,** tibi gratias agens, **Manu dextera signat super Hostiam** bene✠dixit, ac fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite, et manducate ex hoc omnes:

Tenens ambabus manibus Hostiam inter indices et pollices, profert verba consecrationis **secrete, distincte, et attente** super Hostiam, et simul super omnes, si plures sint consecrandae.

Hoc est enim Corpus meum.

Quibus verbis prolatis, statim Hostiam consecratam, utroque genu flexus, adorat:

surgit et Corpus Christi elevat adeo, ut a circumstantibus possit videri et adorari, reponit super Corporale, et utrumque iterum genu flectens, adorat: nec amplius pollices et indices disjungit, nisi quando Hostia tractanda est, usque ad ablutionem digitorum. Tunc, detecto Calice, dicit:

Simili modo postquam coenatum est, **Ambabus manibus accipit calicem, et iterum deponit** accipiens et hunc praeclearum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas: item, **Caput inclinat** tibi gratias agens **Sinistra tenens Calicem, dextera signat super eum,** bene✠dixit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite et bibite ex eo omnes:

Profert verba consecrationis super Calicem, attente, continue, et secrete, tenens illum parum elevatum.

Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi et aeterni testamenti: mysterium fidei: Qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Quibus verbis prolatis, deponit Calicem super Corporale, et, extensis digitis super Calicem, eum cooperit Palla, dicens secrete:

Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.

Utroque genu flexus, adorat: surgit, ostendit populo, deponit super Altare, et utrumque iterum genu flectens, adorat.

Unde et mémoires, *Disjungit et extendit manus ante pectus*, Dómine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta, ejúsdem Christi Fílii tui, Dómini nostri, tam beátae passiónis, nec non et ab ínferis resurrectiόνis, sed et in caelos gloriósae ascensiónis: offérimus, *Jungit manus*, praeclárae majestáti tuae, de tuis donis, ac datis *Signat ter super Hostiam et Calicem simul, dicens*: hóstiam ✠ puram, hóstiam ✠ sanctam, hóstiam ✠ immaculátam, *Deinde signat semel super Hostiam, dicens*: Panem ✠ sanctum vitae etérnae, *et semel super Calicem, dicens*: et cálicem ✠ salútis perpétuae.

Extensis manibus, prosequitur:

Supra quæ propítio ac seréno vultu respícere dignéris: et accépta habére, sícuti accépta habére dignátus es múnera púeri tui justi Abel, et sacrificium Patriárchae nostri Abrahae: et quod tibi óbtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculátam hóstiam.

Profunde inclinatus, junctis manibus et super Altare positus, dicit:

Súplices te rogámus, omnípotens Deus: jube haec perférri per manus sancti Angeli tui in sublíme altáre tuum, in conspéctu divinae majestátis tuae: ut quotquot, *Extensis manibus et super Altare positus, illud osculatur*, ex hac altáris participatióne *Jungit manus*, sacrosánctum Fílii tui, *Et signat semel super Hostiam, et semel super calicem* Cor✠pus et Sán✠gui-

nem sumpsérimus *Seipsum signat, dicens*: omni benedictiόνe caelésti et grátia repleámur. *Jungit manus*. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Oratio pro defunctis

Meménto étiam, *Extendit et elevat manus* Dómine, famulórum, famulórúmque tuárum N. et N.

Jungit manus, et, oculis ad sacram Hostiam intentis, orat aliquantulum pro iis defunctis, pro quibus orare intendit. Deinde, extensis manibus, prosequitur:

Qui nos praecessérunt cum signo fidei et dórmiunt in somno pacis: ipsis, Dómine, et ómnibus in Christo quiescéntibus, locum refrigerii, lucis et pacis, ut indúlgeas, deprecámur. *Jungit manus et caput inclinat, dicens*: Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Manu dextera pecutit sibi pectus, elata aliquantulum voce dicens:

Nobis quoque peccatóribus *Extensis manibus ut prius, secreta prosequitur* fámulis tuis, de multitudíne miseratiónum tuárum sperántibus, partem áliquam, et societátem donáre dignéris, cum tuis sanctis Apóstolis et Martyribus: cum Joánne, Stéphano, Matthía, Bárnaba, Ignátio, Alexándro, Marcellíno, Petro, Felicitáte, Perpétua, Ágatha, Lúcia, Agnéte, Caecília, Anastásia, et ómnibus Sanctis tuis: intra quorum nos consórtium, non aestimátor mériti, sed

veníae, quaesumus, largitor admítte.
Jungit manus. Per Christum Dóminum nostrum.

Per quem haec ómnia, Dómine, semper bona creas, **Signat ter super Hostiam et Calicem simul, dicens:** sancti✠ficas, vivi✠ficas, bene✠dícis, et praestas nobis.

Discooperit Calicem, utrumque flectit genu, accipit Hostiam inter pollicem et indicem manus dexteræ: et, tenens sinistra calicem, cum Hostia signat ter a labio ad labium Calicis, dicens:

Per ip✠sum, et cum ip✠so, et in ip✠so, **Cum ipsa Hostia signat bis inter se et Calicem, dicens:** est tibi Deo Patri ✠omnipoténti, in unitáte Spíritus ✠Sancti ómnis honor et glória.

Elevans aliquantulum Calicem cum Hostia, dicit:

Per ómnia saécula saeculórum.

R/. Amen.

Jungit manus.

Orémus. Praecéptis salutáribus mónti, et divína institutióne formáti, audémus dícere:

Extendit manus.

Pater noster, qui es in caelis: sanctificétur nomen tuum: Advéniat regnum tuum: Fiat volúntas tua, sicut in caelo et in terra. Panem nostrum quotidiánum da nobis hódie: Et dimítte nobis débita nostra, sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

R/. Sed libera nos a malo.

Amen.

Deinde, manibus super Corporale positis, dicit secrete:

Líbera nos, quaesumus, Dómine, ab ómnibus malis, praetéritis, preséntibus et futúris: et intercedénte beáta et gloriósa semperque Vírgine Dei Genitríce Maria, cum beátis Apóstolis tuis Petro et Paulo, atque Andréa, cum ómnibus Sanctis, **Manu dextera accipit inter indicem et medium digitos Patenam et signat se cum ea a fronte ad pectus, da propítius pacem in diébus nostris: Patenam osculatur, ut ope misericórdiæ tuæ adjúti, et a peccáto simus semper líberi, et ab ómni perturbatióne secúri. Submittit Patenam Hostiae, discooperit calicem, utrumque flectit genu, surgit, accipit Hostiam, et eam super Calicem tenens utraque manu, frangit per medium, dicens:** Per eúndem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílim tuum, **Et mediam partem, quam in dextera manu tenet, ponit super patenam. Deinde ex parte, quae in sinistra remanserat, frangit particulam dicens :** qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus.

Aliam mediam partem quam in sinistra manu habet, adjungit mediae super Patenam positae, et particulam parvam dextera retinens super Calicem, quem sinistra per nodum infra cuppam tenet, utrumque parum elevat, intelligibili voce dicens:

Per ómnia sécula seculórum.

R/. Amen.

Suo loco reponit Calicem, et ipsa particula signat ter super eum, dicens:

Pax ✠ Dómini sit ✠ semper vobis✠cum.

R/. Et cum sp̄ritu tuo.

Particulam ipsam immitit in Calicem, dicens secrete:

Haec sacrosancta commixtio Córporis et s̄anguinis Dómini nostri Jesu Christi fiat mihi, et ómnibus suméntibus, salus mentis et córporis; et ad vitam aetérnam capesséndam praeparátio salutáris. Te praestánte, Deus noster, qui aetérnus vivis et regnas, Deus, per ómnia saécula saeculórum. Amen.

Vel haec alia:

Fiat commixtio, et consecrátio Córporis et S̄anguinis Dómini nostri Jesu Christi, accipiéntibus nobis in vitam aetérnam. Amen.

Tergit pollices et indices, et, Calicem cooperiens ac Sacramento inclinatus, junctis manibus, et ter pectus percutiens, intelligibili voce dicit:

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi: miserére nobis. Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi: miserére nobis. Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi: dona nobis pacem.

In Missis Defunctorum non dicitur miserére nobis, sed ejus loco, dona eis réquiem, et in tertio additur sempitérnam.

Et, si non celebrat pro Defunctis, antequam sumatur Pax, junctis manibus super Altare, inclinatus dicit secrete sequentem Orationem:

Dómine Jesu Christe, qui es vera pax et vera concórdia: fac nos pacificári in hac sancta hora.

Si danda est pax, osculatur Altare, et, dans pacem, dicit: Pax tecum. R/ Et cum sp̄ritu tuo.

Vel hanc aliam:

Dómine Jesu Christe, qui dixísti Apóstolis tuis: Pacem meam do vobis, pacem relínquo vobis: ne respicias peccáta mea, sed fidem Ecclésiae tuae: eámque secúndum voluntátem tuam pacificáre custodíre et coadunáre dignéris: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Sp̄ritus Sancti Deus. Per ómnia saécula saeculórum. Amen.

Supradicte Orationes non sunt ambae dicendae, sed una tantum, quam voluerit Celebrans.

In Missis Defunctorum non datur pax, neque dicitur praecedens Oratio.

Deinde inclinatus, ut supra, dicit sequentes Orationes:

Dómine sancte, Pater omnípotens, aetérne Deus, da mihi hoc Corpus et S̄anguinem Filii tui, Dómini Nostri Jesu Christi, ita súmeri: ut mérear per illud remissionem ómnium peccatorum meórum accípere, et tuo Sancto Sp̄ritu repléri: quia Tu es Deus benedíctus, et praeter Te non est alter: cujus régnum et

impérium sine fine pérmanet in saécula saeculórum. Amen.

Dómine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntáte Patris, cooperánte Spíritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificásti: libera me per hoc sacrosánctum Corpus et Sán-guinem tuum ab ómnibus iniquitátibus meis, et univérsis malis: et fac me tuis semper inhaerére mandátis, et a te nunquam separári permittas: Qui cum eódem Patre vivis et regnas in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti Deus. Per ómnia saécula saeculórum. Amen.

Dómine Jesu Christe, non sum dignus te suscípere: sed tantum, óbsecro, propítius esto mihi indígno peccatóri, et praesta, ut haec vera Córporis et Sán-guinis tui percéptio, non sit mihi ad júdicium neque ad condemnatióem, sed sit ómnium peccatorum meórum optáta remissio, et ánimae et córporis mei pia gubernátio, et pótens ad vitam aetérnam introdúctio: te praestánte, Deus noster: Qui cum Patre et Spíritu Sancto, vivis et regnas, Deus, per ómnia saécula saeculórum. Amen.

Accipit Patenam cum Corpore Christi, maxima humilitate et reverentia dicens:

Panem caeléstem accípiam, et nomen Dómini invocábo.

Deinde parum inclinatus, accipit ambas partes Hostiae inter pollicem, et indicem sinistrae manus, et Patenam inter eudem indicem, et medium supponit, et paulisper corpus deflectens, ita ut circumstantes sacram Hostiam videre et adorare possint, genu dexterum aliquantulum et modeste flectens, et dextera tribus vicibus percutiens pectus, elata aliquantulum voce, ter dicit devote, et humiliter:

Dómine, non sum dignus Et secreta sequitur: ut intres sub téctum meum: sed tantum dic verbo et sanábitur ánima mea.

Postea dextera se signans cum Corpore Christi super Patenam, dicit:

Corpus Dómini nostri ✠Jesu Christi custódiat ánimam meam in vitam aetérnam. Amen.

Et se inclinans, reverenter sumit ambas partes Hostiae: quibus sumptis, deponit Patenam super Corporale, et erigens se jungit manus, et quiescit aliquantulum in meditatione Ssmi Sacramenti. Deinde discooperit Calicem, colligit fragmenta, si quae sint, extergit Patenam super Calicem utrumque flectit genu, interim dicens:

Quid retríbui Dómino pro ómnibus quae retríbuit mihi? Cálicem salutáris accípiam, et nomen Dómini invocábo. Laudans invocábo Dóminum, et ab inimícis meis salvus ero.

Utraque manu accipit Calicem cum Sanguine Christi, et eo se signans, dicit:

Sánguis Dómini nostri ✠ Jesu Christi custódiat ánimam meam in vitam aetérnam. Amen.

Sumpto Sanguine, si qui sunt communicandi, eos communicet. Deinde porrigit Calicem ministro, qui infundit in eo parum vini, interim dicens:

Quod ore sumpsimus, Dómine, pure mente capiámus: et de múnere temporáli fiat nobis remédium sempitérnum. Amen.

Deinde abluit et extergit digitos, dicens:

Corpus tuum, Dómine, quod sumpsi, et Sanguis quem potávi, adhaereat viscéribus meis: et praesta; ut in me non remáneat scélerum mácula, quem tam sancta et pura referunt sacraménta: Qui vivis et regnas cum Deo Patre, in unitate Spíritus Sancti Deus. Per ómnia saecula saeculórum. Amen.

Postea sumit ablutionem: extergit os, et Calicem, quem, plicato Corporali, operit et super Altare ad latus Evangelio deponit: deinde prosequitur Missam.

Dicto, post ultimam Orationem, V/. Dóminus vobíscum. R/. Et cum spíritu tuo, dicit pro Missae qualitate, vel Ite, missa est, vel Benedicámus Dómino. R/. Deo grátias.

In Missis Defunctorum dicit: V/. Requiéscant in pace. R/. Amen.

Tempore Paschali, hoc est a Missa Sabbati sancti usque ad Vigiliam Trinitatis inclusive, et in Festo Corporis

Christi et per totam octavam. Ite, missa est, allelúja, allelúja.

A Festo Nativitatis usque ad Circumcisionem Domini inclusive, loco Ite, missa est, dicatur, si placuerit:

Verbum Patris hódie processit ex Vírgine; virtútes angélicae cum canóro júbilo benedicunt Dómino.

R/. Pacem nobis ómnibus nuntiávit Angelus, refúlsit pastóribus veri solis cláritas, reddeunt Deo grátias.

In Festo Epiphaniae Domini, loco Ite, missa est, dicatur, si placuerit

Stella fulget hódie, quae ducit ad praesépe magos ab oriente: qui invento Púero benedicunt Dómino.

R/. Adorántes Púerum, offeréntes thus et aurum, myrrhámque mortálium, revérsi sunt ad pátriam, reddunt Deo grátias.

Dicto Ite, missa est, Sacerdos, ad populum conversus, benedicit, dicens: In unitáte Sancti Spíritus ✠ benedícat vos Pater et Filius.

In Missa autem pontificali, ter benedicit Pontifex, dicens: In unitáte Sancti ✠ Spíritus benedícat vos Pa✠ter et Fí✠lius.

Quando dicitur Benedicámus Dómino, datur antea Benedictio, omissis tamen verbis In unitáte etc.

Deinde inclinatur se ante medium Altaris, et, manibus junctis super illud, dicit secrete:

Pláceat tibi, sancta Trínitas, obséquium servitútis meæ: et praesta: ut sacrificium, quod óculis tuae Majestátis indignus óbtuli, tibi sit acceptábile, mihíque, et ómnibus, pro quibus illud óbtuli, sit, te miseránte, propitiábile. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Deinde Sacerdos osculatur Altare, et in cornu Evangelii, junctis manibus, dicit: *V/. Dóminus vobíscum. R/. Et cum spírítu tuo.*

Et signans signo Crucis primum Altare, vel librum, deinde se in fronte, ore, et pectore, dicit:

Inítium sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Vel, si aliud Evangelium legendum sit: Sequéntia sancti Evangélii, etc.

R/. Glória tibi, Dómine.

Junctis manibus prosequitur.

Joann. I, 1-14

In princípío erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in princípío apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, quod factum est: in ipso vita erat, et vita erat lux hóminum: et lux in ténebris lucet, et ténebrae eam non comprehendérunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joánnes. Hic venit in testimónium, ut testimó-

nium perhibéret de lúmíne, ut ómnes créderent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimónium perhibéret de lúmíne. Erat lux vera, quæ illúminat ómnem hóminem veniéntem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognóvit. In própria vénit, et sui eum non recepérunt. Quotquot autem recepérunt eum, dedit eis potestátem filios Dei fieri, his qui crédunt in nómine eius: qui non ex sanguínibus, neque ex voluntáte carnis, neque ex voluntáte viri, sed ex Deo nati sunt. *Utrumque flectit genu, dicens: Et Verbum caro factum est, et surgens prosequitur: et habitávit in nobis; et vídimus glóriam eius, glóriam quasi Unigéniti a Patre, plenum grátiae et veritátis.*

R/. Deo grátias

In Missis Defunctorum non datur benedictio, sed, dicto Requiéscant in pace, dicit: Pláceat tibi, sancta Trínitas: deinde, osculato Altari, legit, absque ullo Crucis signo, Evangelium sancti Joannis, ut supra.

Finito Evangelio sancti Joannis, descendit ante medium Altaris, ubi, flexis genibus, Tempore Paschali excepto, dicit, juxta diversitatem Temporum, Commemorationem beatæ Mariæ Virginis, ut infra:

I Per Annum

Sub tuum praesídium confúngimus, sancta Dei Génitrix: nostras deprecationes ne despicias in necessi-

tátibus, sed a peículis cunctis libera nos semper, Virgo benedícta.

V/. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta.

R/. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui gloriósae Vírginis Matris Maríae corpus et ánimam, ut dignum Filii tui habitáculum éffici mererétur, Spíritu Sancto cooperánte, praeparásti: da, ut cujus commemoratióne laetámur, ejus pia intercessióne ab instántibus malis et a cunctis perículis, et a morte subitánea atque perpétua liberémur, et ad gáudia aetérna perveníre mereámur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

R/. Amen.

¶ Quae Antiphona, cum suo Versu et Oratione, ut supra, dicitur per totum Annum, exceptis Temporibus infra notatis.

II A Dominica I Adventus usque ad Vigiliam Nativitatis Domini

Missus est Gabriel Angelus ad Maríam Vírginem, desponsátam Joseph.

V/. Angelus Dómini nuntiávit Maríae.

R/. Et concépit de Spíritu Sancto.

Oratio

Deus, qui de beátae Maríae Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nunti-

ánte, carnem suscípere voluísti: praesta supplicibus tuis; ut, qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejes apud te intercessiόνibus adjuvémur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

R/. Amen.

III A Nativitate Domini usque ad Vigiliam Purificationis beatae Mariae Virginis

Nésciens mater Virgo virum, péperit sine dolóre Salvatórem saeculórum; ipsum Regem Angelórum sola Virgo lactábat, úbere de caelo pleno.

V/. Post Partum, Virgo, invioláta permansísti.

R/. Dei Génitrix, intercède pro nobis.

Oratio

Deus, qui salútis aetérnae, beátae Maríae virginitáte foecúnda, humano géneri praemia praestitísti: tribue, quaesumus; ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus Auctórem vitae suscípere, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit, et regnat in saecula saeculórum.

R/. Amen.

IV A Sabbato sancto usque ad Vigiliam Ascensionis

Regína caeli, laetáre, allelúja. Quia quem meruísti portáre, allelúja. Re-

surréxit, sicut dixit, allelúja. Ora
pro nobis Deum, allelúja.

V/. Gaude et laetare, Virgo María,
allelúja.

R/. Quia surréxit Dóminus vere,
allelúja.

Oratio

Grátiam tuam, quaésumus, Dómine,
méntibus nostris infúnde, ut qui,
Angelo nuntiánte, Christi Fílii tui
incarnatióem cognóvimus, per pa-
ssióem ejus et crucem ad resu-
rrectiόνis glóriam perducámur. Per
eúmdem Christum Dóminum nos-
trum.

R/. Amen.

**Dicta Commemoratione beatæ Mariæ
Virginis, Celebrans facta reverentia Alta-
ri, et etiam Choro atque Pontifici, si ad-
sunt, revertitur ad Sacrarium, eo ordine et
modo quo venit ad Altare, dicendo Te
Deum laudámus, cum aliis precibus, ut
habetur in principio Missalis.**